

## Delectus militum.

### Die Mustrung der Landtsknechte.

**F**ortior hic legitur Mauortis ad arma iuuentus  
Arma gerat iuuenis miles, et arma senex.  
Nomina militiæ quicunq; dat apta frementi,  
Conspicuis portam transeat ante meam.  
Nam nisi magnanimus, dignusq; videbitur esse,  
Militis ingenij qui graue portet onus.  
Segnior è nostro delebitur ilicet albo,  
Martis ut indignus qui ferat arma manu.  
Quisquis at in nitidis (ut fas) animosior armis  
Stabit, is in quouis turbine miles erit.

## Principales militiæ legere literas.

### Die Artickelobrieff lesen.

**V**tile consilium peditum Dux conuocat acer,  
Ordine dans leges conueniente suas.  
Scilicet exigua narrantur cuncta tabella,  
Ambigui quicquid bellicus ordo tenet.  
Omnia quæq; sequi, milesq; relinquere debet,  
Strenuus aut Princeps vituperare potest.  
Charta ministranti mollem breuis explicat aurem,  
Et quæuis belli iussa timenda docet.  
Quisquis at hæc audet sacrata resolvere iura,  
Non sibi propitios sentiet esse Deos.

## Obsessa arx. Belegert Schloß.

**H**ostis honorificam cum Martius obsidet urbem,  
Cingitur aut felix obsidione domus.  
Tempore consilij urbs clausa salubribus omni,  
Indiget his constat quicquid ubiq; vides.

S 3 Præse-